

1795.  
De

Regno Dei,  
A Jesu, Servatore nostro,  
in terris condito,  
quæ ejus sit ratio et quousque vigeat nostris  
temporibus?

---

Dissertatio Theologica,

quam

Examini Eruditorum,

praesertim

Summe Reverendi Ordinis Theologorum Academiae  
Caesareae Dorpati florentis  
submittit

Auctor

Augustus Guilielmus Tappe,

Philosophiae Doctor, Consiliarii titulo ornatus, Religionem  
et Ethicam christianam in schola, Germanicae gentis juventuti  
instituendae, Petropoli patente florentisque primaria,  
S. Petri nomine clara, publice docens.

---

Dorpati Liv.

A. S. MDCCCXV.

Typis J. C. Schumannii, (Typographi Dorpatensis.)



In primatur

ea quidem sub conditione, ut, simulac dissertatio hæc typis excusa sit et antequam divulgetur, septem Exemplaria, quae secundum jassum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpat. Frid. Cal. Decembris mncocxv.

Christianus Fridericus Segelbach.

Philos. et Theolog. Doctor, Histor. eccles. et Liter.

Theolog. Professor P. O., a Consiliis aulicis;

h. t. Decan. Fac. theol. etc.

Censor.

D 9975

Viro

Excellentissimo atque Illustrissimo,

Sergio Simeonidi de Uwarow,

Augustissimo omnium Ruthenorum Imperatori a Consil.  
status actual., Ordinis St. Joan. Hierosol. Equiti, Re-  
rum scholasticarum per provinciam Petropolitanam  
Curatori gravissimo, complurium societatum  
literariarum Sodali,

Studiorum linguarum veterum, tam orientalium,  
quam occidentalium,

et Maecenati et Cultori Peritissimo,  
Doctissimo,

hocce opusculum

ceu summae Reverentiae atque Observantiae  
publicum interpretem,

D. D. D.

Auctor.

Vir Illustrissime, Excellentissime, Doctissime,  
me,  
Fautor ad cineres usque Colende,

Linguarum veterum dignitatem internam et vim mirificam ad omnes animi humani facultates optime dexterrimeque excolendas ac formandas, quis est, qui Te, Vir Illustrissime, penitius norit, apertius confiteatur, Te, inquam, ut Cui Pierides ipsae, singulari favore ductae, adytum sanctuarii patefecerint?

Pro tanto illo, quo flagras, studii veterum linguarum amore (quibus quidem sacris ignibus hucusque inter nostrates eheu! non nisi parvulus grex ardet) gratias Tibi acturus, quas possim, maximas, meamque erga Te reverentiam atque observantiam haud fucatam, qualis fere est cunctorum Ruthenorum, Philologiae et reliquarum literarum studiosorum, palam testificaturus, opusculum hoc quaecumque, omni, qua par est, observantia dedicare Tibi ausus sum. Quod, ex causis quidem fortuitis profectum, libelli mei: „De eo, quod homini inest Divini atque Aeterni“ lingua

vernacula nuperrime editi quasi antity-  
pum, non satis dignum esse, quod nomen  
Tuum in fronte gerat, equidem non ignoro.  
Sed mentem Tuam candidam hoc quoque  
munusculum, ut grati animi summaeque  
observantiae tesseram, donec meliora Tibi  
offere licuerit, benevole accepturum esse,  
persuasissimum habeo.

Faxit Deus T. O. M. ut quantum in Te  
est studii veterum linguarum ceterarumque  
literarum, tantundem commodi inde re-  
dundet in patriae, quam jam pridem et me-  
am salutare gestio, salutem atque honorem,  
et, longaeva vita ornatus, ut diu fruaris Tuo-

rum studiorum eorumque frugum dulci memoria. Dabam Petropoli, Idus Decembr.  
A. R. S. cIdIcccxy.

D. Augustus Guilielmus  
Tappe

**R**egnum divinum inter mortales constitutum, de quo verba facere apud animum constituimus, in codice S. N. T. tribus potissimum celebratur nominibus: 1) Regni coelorum, (τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, Matth. III, 2. c. XVIII, 3 etc.)—2) regni Dei, (τῆς βασιλείας Θεοῦ, Matth VI, 33) et 3) regni Christi, (τῆς βασιλείας τοῦ χριστοῦ, Eph. V, 5, ubi loci subadditur: καὶ Θεοῦ, quasi dicat Apóstolus: regnum Christi, idque divinum. — Conf. Joh. XVIII, 36. Col. I, 13.—) Ad primum quod attinet (ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν), ex Hebraismo (מַלְכוּת שָׁמַיִם) prodiisse, vix est, quod moneamus. Hebraei enim, maxime inferioris aevi, voce מַלְכוּת, vi Metonymiae, loco nominis cujuscunque divini, h. e. pro ipso Deo, usi sunt. Hinc legitur in Medrasch

Coeleth c. V, v. 6. „qui venit visitatum aegrotum, dicit: (עליונו ייחיי) Coelum (i. e. Deus) misereatur tui!“ et in Pirke Aboth, cap. 4. „Reverentia praeceptoris esto tibi (עליונו ייחיי), sicut reverentia coeli (i. e. Dei).“ Plurium exemplorum curiosus qui fuerit, adeat Jo. Buxtorfii Lexicon Chald. Thalmud. Rabb. col. 244o. sq. Hinc vel ipsum scribendi compendium, pervulgatum in Judaeorum libris: שׁוׁב (i. e. שׁוׁב שׁוׁב) fere ut nostrum: „I. N. D.“ (In nomine Dei) et Muhamedanorum „Bismillah.“ Sed jam Christi, Servatoris, aetate dudum invaluerat idem dicendi usus, uti satis superque docent loca quaedam scripturae S. N. T: ut: Matth. XXI, 25. Marc. XI, 30. 31. Luc. XV, 18. 21. c. XX, 4. 5. Joh. III, 27. — Secundum nomen (ἡ βασιλεία Θεῶ) magis tuetur proprium sensum, ab usu tropico (magis saltē, quam prius), alienum. Tertium (ἡ βασιλεία τῶ Χριστοῦ) innuit regni divini, Deo T. O. M. auspice constituti, ipsum moderatorem supremum, τὸν χριστὸν (πρωτῆν) i. e. Regem; imperantem divinae civitati (τῆ ἐκκλησίᾳ τῆ Θεοῦ, Act. XX, 28. τῆ ἐκκλησίᾳ τῆ Θεοῦ ζῶντος, 1. Tim. III, 15.)

Christum, servatorem, doctoris inter suos divini partibus fungentem, summae ubique ac vere divinae sapientiae exemplar, id semper

egisse, ut, quae suae aetatis Judaei sentirent, non omnino adspernaretur atque exploderet. Judaicum dicendi Judaicasque superstitionis ideas exprimendi modum non nisi rarissime funditus repudiaret, sed benigne ac liberaliter corrigeret, castigaret atque emendaret, constat inter Theologos. — Christus, servator, non ignorans, suae aetatis Judaeos persuasos esse, fore, ut rex quidam longe potentissimus, e tribu Judae oriundus, olim prodeat, regnum conditurus longe vastissimum; gentem suam e servitute Romanorum liberaturus; libertatem ipsi vindicaturus gloriosissimam; auream aetatem, probitate majorum denuo invalescente, egregie restitutus: prudentia divina ductus, non omnino contradixit suis, sed castigavit et correxit, quae suo ipsorum ingenio suaeque superstitione ducti sinistre docerent. Notionis de regno divino inter Judaeos olim condendo natales proxime sunt petendae ex Dei nielis oraculis II, 44. cap. VII, 13. 14. 27. Oraculi prioris verba sunt, quae sequuntur:

וּבְחִמְיָהוֹן דְּי מַלְכֵי־אֲמֹן יָקִים אֱלֹהִים שְׂמֵיָא מַלְכֵי  
 דְּי לְעָלְמִין לֹא תִחְתַּבֵּל וְסֵל יִהְיֶה לְעַם אֲחֵרָן לֹא תִשְׁחַבֵּק  
 תִּדְק וְהָסֵף בְּל־אֱלִין מַלְכֵי־וְהִיא חֲקוּם לְעָלְמֵי־אֲמֹן:

i. e. Regum illorum aetate, eriget Deus coelestis regnum, nulli omnino cor-

ruptioni obnoxium, cujus regimen nulli alii genti relinquetur, comminaturum consumpturumque regna ista omnia, ipsum quidem per secula duraturum. Posterius Danielis oraculum (cap. VII, 13. 14. 27) sic se habet:

13. **וְיָרָא בְּחִזּוֹן לַיְלָא וַיֵּאמֶר עִמ־עָנִי שְׂמִיָּא כְּבֹר  
אֲנִי אִתָּה הַנָּה וְעַד־עַתִּיק יִמְנָא מִטָּה הַקְּרִמְוִי  
הַקְּרִמְוִי: 14. וְלֵה יְהֵב שְׁלֹטָן זִיקָר וְסֻלְכֵי וְכֹל עַמְמֵיָא  
אֲמִיָּא וְלִשְׁמַיָּא לֵה יִפְלְחֵן שְׁלִטְנָה שְׁלֹטָן עַל־מִיָּא  
יְעִיָּה וְסֻלְכֵיָהּ הַיְלָא הַתְּהֵבֵל: - - - 27. וְסֻלְכֵיָהּ  
וְשְׁלִטְנָה וְרִבְוִתָּהּ יְהִי מְלֻכּוֹתָהּ חֹזֶרָה כָּל־שְׁמֵיָא  
יְהִיבֵר לְעַם קְדִישֵׁי עֲלִיזֵיכֵן מְלֻכּוֹתָהּ מְלֻכּוֹתָהּ עַל־מִיָּא  
וְכֹל שְׁלִטְנָה לֵה יִפְלְחוּן וְיִשְׁתַּמְעוּן:**

i. e. 13. „Vidi, in visione nocturna, in nubibus coeli (nescio quem?) venientem, mortali similem, pertingentem ad seniore[m] illum proximeque accedentem ad eam, 14. qui dedit ei postestatem, honorem et imperium, quem omnes gentes nationesque quam maxime diversae colebant; cujus imperium esset aeternum, nunquam transitorium; regnum ejus nulli corruptioni obnoxium.“ — — — 27. „Regnum et imperium ac majestas regnorum terrenorum dabitur genti sanctorum Altissimi, cujus regnum erit aeternum. Imperia omnia colent eum ei[que] obtemperabunt.“

Ex his Danielis, prophetae, oraculis colligebant Judaei, Deum altissimum olim restitutum esse maximeque amplificatum rem publicam paternam, eamque ad id potestatis ac majestatis fastigium erecturum, unde, hostibus omnibus devictis, jugo Romanorum acerbo ac servill decusso, perfectissimaque libertate restituta, dominaturi sint in omnes terrarum gentes. Imperantem huic imperio fere omnino civili (nisi quod et veri Dei cultum tunc pariter emendatum crederent) constituiebant Messiam. Quae quidem de imperio illo Messiae gloriosissimo, eodemque maximam partem civili persuasio, Jesu, Servatoris, ejusque Apostolorum aetate, omnium Judaeorum opplexerat animos. Quid? quod infixam haerebat per aliquot tempus in animis ipsorum discipulorum, comitum atque amicorum Jesu! — Joannes, Baptista, ipse, licet digniorem summi numinis cultum morumque probitatem supremam regni Messiae legem esse pro certo putaret, (Luc. III, 16. 17) ideoque morum corrigendorum tanto studio admoneret suam gentem (*Μετανοήτε!* Matth. III, 2), dubius animi tamen fuisse videtur, an regnum Messiae ab omni constitutione formaque civili fuerit alienum? Fidem facit legatio illa Joannis Baptistae e carcere ad Jesum missa, (Matth. XI, 1—11) quaerens ex Jesu, dictis factisque

mirandis tunc longe famosissimo: „Σὺ ἢ ὁ ἰσχυρότερος, ἢ ἕτερον προσιδοῦμεν;“ — (“*Eteron!* „qui magis, quam Tu, regis civilis regiaeque majestatis speciem praebeat, quem ad regnum ex parte saltem civile instituendum magis idoneum putare possint nostrates?“ —) Concipiunt, quae respondit Jesus, maxime v. 5 & 8: „Μακάριός ἐστιν ὁ εἰς μὴ σκωδάλισθῆν ἐν ἱματί.“ Beatus, ait, cui non est offendiculo tenuis haec mea, sane non regia, conditio, nec sibi persuadet, me, ideo, quod regis terreni speciem haud prae me feram, non esse Messiam, regni divini conditorem ac moderatorem supremum!“ — et v. 8: „Τί ἐξήλαθετε ἰδοὺ; ἀνθρώπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ, οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων αἰτοῦ.“ („*A* quorum facie, ait, conditione, negotiis ac moribus equidem sum alienus!“) — Sed opinionis Judaicae de facie fineque divini regni, certe aliquam partem civili conceptae, vigentis inter Jesu amicos, vestigia magis manifesta exhibent loca codicis S. N. T. quaedam alia, ut: Luc. I, 32. ubi Angelus ille: Οὗτος, ait, ἔσται μέγας — — καὶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τῷ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ εἰς τοὺς αἰῶνας κ. τ. λ. De regno, ex parte saltem civili quis non cogitaverit, attente le-

gens haec Angeli verba? — — — Salome, Zebedaei uxor, Jacobi et Joannis mater, (Marc. XV, 40. c. XVI, 1.) petiit a Jesu (Matth. XX, 20), ut summos in ipsius regno honores conferret in suos filios. De civilibus honoribus, adeoque de regno Jesu ex parte saltem civili cogitasse Salomen, liquet. — Praeterea ipsius Jesu, Servatoris, discipuli intimique amici, quaerunt ex eo, redivivo, Hierosolymis ipsorum societatem ingresso: (Act. I, 6) „Κύριε, ἴσθι ἐν χρεῖν ταύτη ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραὴλ; — — Nonne cogitaverint de republica Judaeorum civili restituenda? — — —

Quis dubitet, Christum discipulos suos atque amicos abunde docuisse, regnum suum non esse terrenum? (Joh. XVIII, 36. 37. Luc. XVII, 20. 21.) — Sed inhaerebant, prouti solent mortales, suspicioni inter suos solemni, fore, ut, ex parte saltim, civile fuerit ac terrenum. Denique tamen, ex quo veri falsique sensus (spiritus veritatis, a servatore ipsis promissus, Joh. XVI, 13.) potitus est illorum animis, ita deleta fuit atque evanuit ista Judaismum redolens opinio ex ipsorum animis, ut ne obscurum quidem vestigium qualecunque remaneret.

Quod restat, non est, quod mireris, discipulos, comites atque amicos Jesu, diu inhaesisse suspicioni, regnum divinum a servatore institu-

endum, aliquam certe partem fore terrenum, cum Jesus regem (*βασιλεια*) ingenue sese diceret, (Joh. XVIII, 37.) aliisque ejusdem fere notionis uteretur nominibus, ut: 1) Christi, (*τῆ χριστοῦ*) i. e. Messiae (*ἡ ψηφῆ*) Matth. XXVI, 63. c. XVI, 16. 17. 2) Filii hominis, (*τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου*) nomine ex Danielis oraculis supra commemoratis (c. VII, 13. 14) petito. 3) Filii Dei (*υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*), quod idem omnino esse, quod *ὁ χριστός* (*ἡ ψηφῆ*) discas ex evangelii Matthaei (c. XVI, 16. c. XXVI, 63), Marci (c. VIII, 29) et Joannis (c. I, 49. c. VI, 69). 4) Pastoris (*ποιμὴν*), (Joh. X, 12) conf. LXX, Ezech. XXIV, 23. XXXVII, 24. Eodem nomine, sensuque simili utitur Homerus (Iliad. α, v. 263. *ποιμένα λαῶν*, i. e. scholiaste interprete: *βασιλεια ὄχλων*. — Conf. Iliad. β, v. 245.) Similiter Xenophon (Mem. III, 1. 2), Philo (vit. Mos. p. 612. de Agricult. p. 416), alii. Hesychius interpretatur *ποιμὴν βασιλεύς*.

Sunt, qui existiment, Jesum servatorem, ideo potissimum se dixisse regem, quod Philosophi Stoici reges (*βασιλῆς*) sese dixerint\*),

---

\*) Diog. Laërt. VII, 1. 64. (*ὁ μόνος σοφὸς βασιλεὺς*). Vid. S. R. Ammonii (praeceptoris mei ad cineres usque colendi) Theologia bibl. Tom. III. p. 13. seq.

maxime cum Jesus (Joh. XVIII, 37.) Pilato interroganti: „Ὁὐκ εἶν βασιλεὺς εἶ σὺ“; responderit: „Σὺ λέγεις ὅτι βασιλεὺς εἰμι ἐγώ. ἐγὼ εἰς τοῦτο γέγονμαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα ἕως τῶν κόσμων, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ, κ. τ. λ. — Sed habere mihi videor, quod dubitem, an Jesus dicendi usum mutuatus fuerit a Philosophis Graecorum Stoicis, quum longe propior ipsi fuisset Hebraeus adeoque paternus dicendi usus. Regni divini in terris conditorem futurum, Regem (ἡψηη) dicebant Judaci. Quid mirum, quod Jesus Regem se dixerit? Accedit notionis nomini regis inhaerentis, cum conditione partibusque Jesu, mira convenientia. Nam condere ac promulgare leges, imperare populo legibus hisce obstricto, regum est. Legibus a rege latis obtemperare est civium, ipsi ipsiusque legibus subjectorum. Nonne leges tulit Jesus? Nonne imperat civium legibus acceptis sibi obstrictorum coetui? (τῇ τῶν ἀγίων ἐκκλησίᾳ) Nonne praeest suo imperio? Nonne igitur Rex jure meriteque dicendus Jesus erat? — Eodem spectare mihi videntur ipsa servatoris, Pilato respondentis, verba (Joh. XVIII, 37): Πᾶς ὃ εἶν ἐκ τῆς ἀληθείας, ἀκούσει μου τῆς φωνῆς. („Obtemperat, ait, praeceptis meis, servat meas leges.“)

Antequam de divino regno a Jesu, serva-

tore, condito, ex mente ipsius ejusque apostolorum accipiendo, uberius dico, praemittendae sunt quaedam observationes, a scopo mihi proposito, prouti videntur, haud alienae. —

Insitum esse naturae humanae divinum quid (שֵׁנִי רַי), non docent solum scriptores sacri, tribuentes homini *πνεῦμα* (רוּחַ); *πνεῦμα Θεοῦ* (רוּחַ אֱלֹהִים), ac docentes, hominem creatum esse ad Dei imaginem (בְּצַלְמֵ אֱלֹהִים), sed docent pariter profani. Quis quaeso vir doctus Platonis, Ciceronis, Senecae aliorumque scriptorum Graecorum Romanorumque longe celebratissimorum non meminerit? — De ratione, „parte meliore nostri,“ qua praedita est humana natura, cogitasse tam sacros, quam profanos scriptores, non est quod doceam. Homo ratione praeditus, Dei quodammodo similis, ad rationis perfectum usum non nisi summo studio longaque exercitatione atque experientia pertingere solet. Hinc populi, rationis nondum satis exercitatae solertisque, rudes sunt, rudis ideoque et Dei Deorumve cultus. Rudes, nec rationis solertis culturaeque erant Hebraei in Aegypto pastorem istam vitam agentes. Propterea Moesen, religionis praecepta ipsis daturum oportebat, rationi, qua tunc utebantur Hebraei inexercitatae, puerilem quam dixeris, consulere, usque religionis praecepta in-

jungere ab ingenii rationisque illorum modulo haud aliena. — Quae perfecta omnibusque numeris absoluta quis dicere audeat? — Sed sensim adspirabant, prophetis regibusque divino afflatu claris, doctoribus, ad magis perfectum rationis usum. Prudentiores in gente rite suspicabantur, nationis magis exultae ingenio, futuro tempore, haud amplius suffecturam esse religionem Mosaicam, persuasi, fore, ut olim exurgat, qui religionem paternam et publica sacra corrigat atque emendet. Neque fallentur; prophetis illis de illustri quodam religionis paternae instaurore ac reformatore vaticinantibus.

Longum foret, singula prophetarum huc spectantia in medium proferre oracula. Duo sufficiant! (Jes. LV, 1. sqq. c. LX, 1. sqq.)

In priori oraculo (Jes. LV, 1. seqq.) invitat Deus sitientem quemcunque ad hauriendam aquam \*); ad emendum absque ullo pretio solvendo, absque omni argento (אֵלֵא כֶסֶף וְבַלֵּא רִחִי) vinum et lac. — Aquam, vinum et lac religionis purioris nobiliorisque, mentem reficientis et recreantis imagines esse, exploratum est inter interpretes. Non cogitandum esse de

---

\*) Conf. Job. IV, 10. (עַל אֲנִי הָיְתָה אֵי אֲוֵתִי מֵעַל יְדָוֶקֶת אֵי מֵי יְדָוֶקֶת) scum vv. 11. 13, 14. 15.

Mosaica religione, docet et res ipsa, et abunde satis V. 2. ubi Deus reprehendit populum suum, emturum, numerata pecunia soluta, panem, qui, ad famem depellendam viresque reficiendas parum sit idoneus, nomen panis vix mereatur (לֶחֶם הַשָּׂקֶל-זָבֹב בְּלֵא-אֶחָד וְיִגִּיעַכֶּם וְאִי לֶחֶם לְשֹׂבֵב), invitans potius ad victum capiendum magis opimum magisque selectum: — (שְׁמַעוּ שְׁמִעוּ אֱלֹהֵי וְיִכְלוּ-טוֹב וְהִרְעִיבֵנִי בְּיַשׁ בְּמִשְׁכָּנֵי) Dubium non est, quin reprehendat Deus suum populum, insistentem Mosaicae religioni, sacrorum publicorum tantis tamque profusis sumptibus exhaustienti ipsius cultores, cum religionis adoptandae longe dignioris, nullisque omnino impensis oneratae, instet opportunitas. Regnum divinum a Messia olim constituendum quis non meminerit oraculi hujus lector attentus?

In posteriori oraculo (Cap. LX, 1. sqq.) dicit Deus, lucem claram, illustrem et gloriosam exorituram esse suo populo, collustraturam deinde et alias gentes. De luce religionis magis illustri cogitandum esse, nemo non videt. Hebraea gens Jesaiae, prophetae, aetate Mosaicae religioni quum jam fuisset addicta, sequitur, ut Deus in hocce oraculo spem ipsi injiciat, fore, ut religio magis perfecta et tum ipso Deo,

tum homine rationis ingeniique cultioris dignior, in locum Mosaicae olim succedat.

Praestitit sane Deus T. O. M. quae promiserat suae genti, Jesu, servatore misso, condescendente divinum regnum (*τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν*, seu Θεοῦ).

Regni divini in codice S. N. T. creberrima ac solemnis commemoratio; nec dubia circa genuinam notionem, sub qua nsi sunt ista dictione Jesus ejusque legati. Tanto magis est, quod miremur, b. Koppium, virum quondam doctissimum, ingenii acumine conspicuum, oraculorum sacrorum N. T. dexterrimum interpretem, in errorem inductum, statuisse, (Excurs. 1. Epistolae Pauli ad Thessalonicenses datae 11, subnexo: „Deo regno Christi in N. T. expresso,“ p. 92. sqq.) regnum divinum (*τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* s. Θεοῦ s. Χριστοῦ) in N. T. commemoratum accipiendum esse de insigni quadam futura regis triumphantis majestate. Sed non nisi oraculorum S. S. N. T. lectoris attentione animi opus est, edocendi atque intellecturi, permultis in locis notionem illam a. b. Koppio commendatam neutiquam habere, nec habere posse, locum. (Conf. Langii Additamenta ad Guil. Abr. Telleri Lexicon N. T. reale. Tom. IV. p. 69. sqq.)

Sed ante quam dicimus, quae nos quidem

sentiamus de sensu dictionis (*βασιλεία τῶν οὐρανῶν* s. Θεοῦ, s. χριστοῦ) in N. T. solemnī, in medium proferre liceat loca, in quibus Joannes Baptista; Jesus, servator ipse, ejusque Apostoli mentionem ejus faciunt.

Joannes, Baptistes, divinum regnum, et ut instans quidem, primus commemorat, (Matth. 3, 2.) sed tantum abest, ut terreni regni solummodo moralis suspicionem movere studeat, ut clara voce exclamet: *Μετανοήτε — ἕγγιξε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* — Com. 8. Judaeorum Theologos hypocritas, Pharisaeos et Sadducaeos, ipsos admonet: *Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἄξιους τῆς μετανοίας.* Commate 11. monet idem, initiare sese, quicumque resipiscere et ad frugem redire velint, tamquam regni divini cives futuros, baptismo simplici ac vulgari, sed regni divini conditorem ipsum multo nobiliori atque efficaciori baptismo usurum: *Αὐτοῖς, inquit, ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἢ ἔ. sapiētiōres vos reddet et sanctiōres, ita ut divinus afflatus vos animaturus sit.* Joh. 5, 28. sqq. docet, se non esse τὸν χριστόν, seu Messiam, regni divini conditorem ipsum, nec esse, nisi ipsius πρόδρομον et praeconem; se esse terrenum, illum coelestem, missum a summo Numinae, traditurum divina praecepta (*τὰ ρήματα τῆ Θεοῦ λαλῶ* v. 34), ut cui Deus concesserit immensas animi

virtutes et sapientiam humana quacunque superiore: Ου γαρ, ait, *ἐκ μέτρον* (sicut olim prophetis, —) *δίδασιν* (sc. *αὐτῶ*) *ὁ Θεὸς το πνεῦμα*: ergo *πνεῦμα ἄμετρον*, quo instructum, ad constituendum regnum omnino spirituale (*βασιλείαν τῶν ἑρανεῶν* seu *Θεῶ*) idoneum sese praestiturum. — Joh. 1, 29. de Jesu, regni divino auctore futuro: Ἴδὲ, inquit, *ὁ ἄνομος τοῦ Θεοῦ, ὁ ἀῤῥων τῆν ἁμαρτίαν τοῦ κοσμοῦ*, h. e. „En regni divini conditorum, sacrificatorum sese pro salute mortalium, ablaturum peccata, obturatorum miseriae humanae fontem!“ Inde liquet, Joannem regnum illud divinum a Jesu, Servatore, instituendum annunciasse ac praedicasse ut mere spirituale ac morale.

Accedamus jam ad ipsum Servatorem, omni, qua par est reverentia, cognituri ex divino ipsius ore, quae, ipso teste, divini regni fuerit ratio.

Regni coelestis prima mentio, a Jesu, servatore facta, mentioni a Joanne baptista injectae simillima. (Vid. Matth. IV, 17.): *Ἠξήκατο Ἰησοῦς κηρύσσειν καὶ λέγει. Μετανοεῖτε. ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν ἑρανεῶν* (conf. Marc. 1, 15.) — Docet igitur Jesus, id quod Joannes, baptistes, docuerat idem, regni divini civibus futuris esse resipiscendum, a prava mente discedendum et redeundum ad frugem. Ergo regnum

divinum, ex mente Jesu, neququam esse terrenum, nec nisi animi probitatem, morum castitatem, ingenii mentisque, circa sacra, collustrationem illustrem spectare, patet. Propterea Jesus, cum populus, ob mire dictorum factorumque vim mirificam, suspicaretur, eum esse Messiam (Judaeos e servitute Romanorum liberaturum, id agens, ipsum ut regem sibi praeficeret, subduxit se stolidorum conspectui, secedens solus in montana. (Joh. VI, 15.)

Alio loco (Joh. XVIII, 36. 57.) ingenue ac diserte prolietur Jesus, suum regnum non esse terrenum, non civile; (*ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἐστὶ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ*) id quod abunde doceant omnis sua conditio, suus cultus, sui mores. Aliter ministris cohortibusque armatis circumseptus armis conflicturus esset cum Judaeis, evasurus eorum insidiis! — (*Εἰ ἐκ τῷ κόσμῳ τούτῳ ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ, οἱ ὑπηρετοὶ ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο, ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις.*)

Luc. XVII, 20. Pharisaeis per ludibrium exprobrantibus servatori regnum divinum ab ipso condendum, lepideque interrogantibus: „Quando venturum esset id regni?“ respondit: *Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, οὐδὲ ἐροῦσιν· Ἴδου ἔδει, ἢ, ἰδὸν ἐκᾶ. Ἴδὲ γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔντος ὑμῶν ἐστίν.* In interpretanda voce *παρατηρήσεως* diu oleum et operam perdiderunt

philologi. Nostrae demum aetati contingit vera nominis interpretatio, ingenue exhibita a doctissimo Schleusnero. (Nov. Lexic. graecolatin. in N. T. Tom. II. p. 422.) Verbo παρατηρῶν diligenter observandi vis, inest. Hinc derivato nomini (παρατήρησις) 1) sollicitae attentaeque observationis notio; deinde 2) per metonymiam, id, quod observandum se praebet ipsum, quod incurrit in oculos, vel oculos omnium in sese convertit, ut splendor, pompa, majestas externa. Docet igitur Jesus, suum regnum non venturum (sicut de suo regno Messiano cogitantes sibi persuaderent Judaei) cum externo majestatis oculos perstringente splendore ac pompa, ergo neutiquam civile esse, seu terrenum. Hinc addit Servator (v. 21): Οὐδέ τις ἐροῦσιν ἰδοῦ ἕδε, ἢ, ἰδῆ ταῦτα. Ἴδοῦ γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔντος ὑμῶν ἐστίν. „Non esse, ait, terrarum certis finibus circumscriptum, quibus solis imperet terrenus rex, terrenae majestatis splendore indutus, sed versari in solis mortalium animis iisque corrigendis et veritatis luce collustrandis.

Joh. II, 3. sqq. Nicodemo, persuaso, Jesum esse divinum illum doctorem (Messiam) regnum coeleste conditurum in terris, idque agenti, ut (sicut ex comm. 5. colligere licet) baptismate initiaretur regni divini civis futurus,

respondit: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἰὰν μὴ τις γεννηθῆ  
 ἄνωθεν, οὐ δύναται εἰσελθεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *non-*  
*nens, neminem divini regni civem futurum (nec*  
*feri omnino posse), nisi qui veluti regni-*  
*tus fuerit auspice Deo. Jesus ex Nicodemi re-*  
*sponso cognoscens, haesitare eum in interpre-*  
*tanda phrasi „γεννηθῆναι ἄνωθεν“ officiosum inter-*  
*pretem agit, respondens (v. 5.): Ἀμὴν ἀμὴν λέγω*  
*σοὶ ἰὰν μὴ τις γεννηθῆ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος,*  
*οὐ δύναται εἰσελθεῖν ἢ τὴν βασιλείαν τῆ Θεοῦ. Τὸ γε-*  
*γεννημένον ἐκ τῆς σαρκός, σὰρξ ἐστὶ. καὶ τὸ γεγεννημένον*  
*ἐκ τῆ πνεύματος, πνεῦμα ἐστὶ. Nisi quis, ait, baptis-*  
*mate admissio, religionis magis perfectae Deo-*  
*que et hominibus dignioris cognitione fuerit*  
*imbutus, praeceptis ejus observandis morum-*  
*que sanctitate conspicuus, divini regni civis*  
*dici nequit. Non nisi tenui religione (Mosis)*  
*paterna imbutus (τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκός \*)*  
*deterioris conditionis, mancae Dei cognitionis*  
*atque imperfectae virtutis dicendus. (σὰρξ ἐστὶ\*\*))*

\*) Σὰρξ enim haud raro innuit religionis Mosaicæ, in ritibus ac ceremoniis religiosis vigentis, observationem, ut Rom. IV, 1. (coll. c. III, 28.) Gal. VI, 12. 13. etc. Conf. Schleusneri Nov. Lex. Graeco-lat. N. T. Tom. II, p. 824.

\*\* (Σὰρξ pariter innuit infirmitatem, deteriorem conditionem quaecumque (vide Schleusner l. c. p. 823) unde et tenuis atque imperfectae religionis Mosaicæ nomen.

— Contra, ait, si quis religionis meae divinae ideoque magis perfectae praeceptorum gnarus fuerit, eaque servaverit (τὸ γειγνημένον ἐκ τοῦ πνεύματος \*), nobilioris conditionis est, perfectae rerum divinarum cognitionis, perfectae virtutis.

Jesus suum regnum terrenum esse cum negasset (Joh. XVIII, 36.), docet Pilatum (v. 37.), omnino sese esse Regem; eum enim in finem se esse natum et in publicum prodiisse inter suam gentem, ut verum libere profiteretur et manifestaret („ἵνα μαρτυρήσῃ τῇ ἀληθείᾳ \*\*)) veritatis amantem quemcunque \*\*\*) auditurum esse ipsius vocem h. e. accepturum atque adoptaturam ipsius praecepta. (Πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, ἀκούσῃ μου τῆς φωνῆς. Nomen Ἀληθεία in scriptoribus Hellenisticis obvia praegnantis significationis est, et verae religionis et probitatis vitaeque integritatis vim habet, omnino sicut Hebraicum אמת, cui substituere solent LXX. interpretes graecam illam vocem:

\*) Πνεῦμα religionis Jesu divinae ideoque perfectae numerisque omnibus absolutae nomen est, solemne in N. T. videsis Schleusner. T. II. p. 595.

\*\*) Conf. Joh. V, 3. (Luc. XI, 48.)

\*\*\*) Ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας est: veritatis amans; sicut εἰ ἐξ ἱριθείας „rixarum amantes.“ Rom. II, 8.

De vera religione adhibetur  $\pi\sigma\mu$  Psalm. XXVI, 3. Ps. LXXXVI, 11. etc. et  $\acute{\alpha}\lambda\eta\theta\acute{\epsilon}\alpha$ , tam de religione naturali, (Rom. I, 18. 25) quam, et creberrime quidem et  $\kappa\alpha\tau' \iota\zeta\omicron\chi\eta\upsilon$ , de christiana. Joh. VIII, 32. 2. Cor. IV, 2. Gal. III, 1. Col. I, 6. 1. Tim. II, 4 etc. \*) — De probitate ac mentis vitaeque integritate adhibita extat Hebraea vox ( $\pi\sigma\mu$ ) Psalm. LI, 8. etc. \*\*), et Hellenistica ( $\acute{\alpha}\lambda\eta\theta\acute{\epsilon}\alpha$ ) Joh. III, 21. c. VIII, 44. Rom. II, 8. 1. Cor. XIII, 6. (ubi opposita est  $\acute{\alpha}\delta\iota\kappa\iota\alpha$ ) etc. Ergo Jesus divinum regnum, quod jure meritoque et suum dicit (ut cuius verus sit conditor) verae, ejusdemque perfectae religionis et probitatis imperium esse, distincte satis ac diserte profitetur.

Judaei persuasi cum essent, fore, ut Messias ipsos liberaturus sit a servitute Romanorum, corrigens, uti solebat Jesus, suae gentis errores, docebat, Veritatem solam ( $\tau\eta\upsilon \acute{\alpha}\lambda\eta\theta\acute{\epsilon}\alpha$ ) h. e. veram religionem eamque magis perfectam, probitatem ac mentis vitaeque integritatem solam esse, quae liberare possit ac liberatura sit servos ab improba servitute duroque imperio tum legis ritualis Mosaicae, tum

\*) Conf. Schleusner l. c. p. 114.

\*\*) Vid. Bialii Thesaurus etc. Tom. 1. sub v.  $\acute{\alpha}\lambda\eta\theta\acute{\epsilon}\alpha$ .

vitiositatis, superstitionis atque errorum. Joh. VIII, 32—40. „Γνώσεθε τὴν ἀληθείαν, ait, καὶ ἡ ἀληθεία ἐλευθερώσει ὑμᾶς.“ (regni divini ejusdemque mei suprema lex!) ἐλευθερώσει ὑμᾶς.“

Joh. IV, 24. docet Jesus, divini regni conditor, Deum, cum ipse πνεῦμα sit (h. e. eus summum spirituale, humanorum sensuum expers) adorandum esse ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, h. e. non cultu externo, in quo Judaei posuerant vim religionis omnem, sed animi, — efformandi ad sanioris religionis praecepta.

Matth. V, 48. monens Jesus, regni divini, ejusdemque sui, cives futuros: “Ἔστωτε ὑμεῖς, inquit, ὡς ὁ πατήρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τελεῖς ἴσθαι. Estote, ait summae perfectionis humanae studiosi, imbuti religionis perfectioris praeceptis, ab impietate quacunque alieni.

Regnum divinum, a Jesu, Servatore, condendum, solum versari in animis civium futurorum, adeoque mere ἰσθῆκόν esse ac πνευματικόν, praeterea docent praestantissimae quaedam parabola e, quibus uti visum est Jesu, divino doctore, ut de semine sato, Matth. XIII, 18 sqq. et v. 24 sqq. etc.

Idem docent alia quaedam dicta ac monita Jesu in evangeliiis memorata. Matth. XI, 11. religionis suae doctorem vel tenuissima praeceptorum suorum cognitione ornatum dicit M.

πρωτερον εν τη βασιλείᾳ τῶν ἑραῶν, sed (μάλιστα Ἰωάννου) majorem Joanne (religionis Jesu praeceptis minus imbuto.)

Matth. XIII, 11. doctrinae religionis Jesu divinae, olim, Mosaismo vigente, Judaeis omninoque mortalibus ignotae, dicuntur Μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν ἑραῶν.

Commate 24. ἡ βασιλεία τῶν οὐραῶν est coetus confitentium religionem Jesu (ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ.)

Com. 51. religionis Jesu doctor, rite institutus, audit: „Γραμματεῖς μαθητευθῆτε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν ἑραῶν.

Matth. XI, 12. Jesus praedivinatorus, sanio-rem suam doctrinam studiosissime amplexuras esse alias gentes, suo populo ipso tam contumaci ac refractario religione sua divina quasi spoliato: ἡ βασιλεία τῶν ἑραῶν, inquit, βιάζεται καὶ βιάσασθαι ἀρπάξασιν αὐτήν. \*) Id, quod verbis magis disertis dicit Servator Matth. XXI, 43: Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρδηθήσεται ἀπὸ ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ καὶ δοθήσεται ἕτεροις ποιῶντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς.

Matth. VI, 10. Jesus, docens discipulos suos precari Deum, ut incrementum adferat ipsius religioni eamque secundet: Ἐλθὲτω, inquit,

---

\*) Alios interpretes aliter interpretari hunc locum, me quidem non praeterit. Sed vereor, ut recte interpretentur.

ὁ βασιλεὺς σε! — Idem fere, prouti statuere equidem ausim, innuit (comm. 11. verbis illis: Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Errare mihi videntur, quaticunq̄ nominis fuerint, interpretes, monentes, de pane, seu victu (naturae animalis alimentis) dicere Jesum. Sed orationem contextam satis perpendenti fatendam; de pane naturali vix esse posse sermonem. Numquid Christus, vix precatus Deum, de regno (τῷ βασιλείῳ τῷ Θεῷ) et consilio divino (τῷ θελήματι τῷ Θεῷ) de pane quotidiano largiendo preces subadiderit? et statim ad rem animum spectantem („ad condonanda peccata“ — —) transilierit? ergo panis quotidiani mentionem, divini regni accelerandi, consilii divini perficiendi et peccatorum condonandorum commemorationi interjecerit et quasi insuerit? — — — — Malim igitur τὸν ἄρτον accipere sensu tropico, de nutrimento animi (βρώσει πνευματικῇ) i. e. saniori, eaque divina doctrina Christi. Nec deest dicendi usus in libris S. S. N. T. Joh. VI, 32. Jesus ἰὸς πατῆρ μου, inquit, δίδωμι ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινόν, h. e. religionem meam divinam. Commate 33. ἰὸς γὰρ ἄρτος τῷ Θεῷ ἵσθι ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ζωὴν δίδων τῷ κόσμῳ i. e. doctrina mea divina, salutaris omnibus mortalibus. Commate 35. Ἐγὼ, ait, ἡμεῖς ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, i. e. Mea religio

vere salutaris est. Possit, qui velit, nec quinino inepte, huc pariter referre, quae conviva ille Jesu (Luc. XIV, 15.) exclamavit: „Μακάριος ὁσὶ φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ!“ — Nec abhorret usus (saltem aequè tropicus) nominum fere synonymorum βρώμα et βρώσις, ut: Joh. IV, 34. Ἐμὸν βρώμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πεμφάντός με, i. e. consilio divino perficiendo nutritur quasi ac deflectatur meus animus. \*) Orationis dominicae lectori attento, memori, post commemoratum divinum consilium perficiendum (γενήθῃτω τὸ θέλωμά σου) statim mentionem fieri τοῦ ἄρτου τοῦ ἐπιουσίου locum hunc (Joh. 4, 34.) quasi interpretem agere meamque sententiam mirum in modum confirmare, vix negare licebit. Similis dicendi usus circa nomen „βρώσις“ fidem faciunt loca quaedam evangelii Joannis: Cap. IV, 32. VI, 27. 55. — Jesus panem illum dicit „τὸν ἐπιουσίου“ in quo nomine interpretando sequi velim partes Hieronymi, quo auctore vim habet rei supersubstantialis i. e. non facientis ad (οὐσίαν φυσικὴν h. e. ad) sustentandam naturam humanam. Itaque cogitandum de eo, quod

\*) Memineris et locum Jesaiae supra laudatum (cap. LV, 2.) כֶּסֶף . סֶהֱל . הַבָּשֵׁל . (בִּסּוּ אֱלֹהִים)

animum spectat, ita, ut idem sit, quod (*ἄρτος πνευματικόν*) panis spiritualis, nutriens et delectans animi. Egregie concinit versio Codicis S. N. T. Slavonica, reddens „τὸν ἰκτίσιον“ *Насущный* \*) (*Nasuschtschnui*) i. e. supersubstantialis. Sed haec haec tenus. Redundum unde digressi sumus.

Matth. VI, 33. admonet Jesus discipulos suos: „Ζητᾶτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὰ πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.“ Opponit eo loco res animum spectantes, victui naturae humanae, spirituales corporeis, divinas terrenis. Quis non didicerit ex hoc uno loco, Jesum Salvatorem regnum divinum eximere omni humanae conditioni formaeque, et ut mere spirituale, seu ad solum animum spectans, designasse.

Quae cum ita sint, sane non nisi morosus Zoilus perstringens me vituperabit, in oratione mea tertia, in templo Petrino, Petropoli celebrato, habita \*\*), depingentem divinum regnum ut lucis, justitiae, caritatis et pa-

\*) Vid. Tappe Theoretisch-practische russische Sprachlehre, 4. Aufl., pag. 19.

\*\*\*) Vom Göttlichen und Ewigen im Menschen, oder vom Reiche Gottes auf Erden. 1815.

cis imperium. Nolim repetere quae satis fuisse dixisse mihi videor in illo sermone.

Restat, ut, quae Apostoli Jesu divinum regnum commemorantes doceant, ostendamus brevissimis.

Rom. XIV, 17. monet Paulus, apostolus, in divino regno a Jesu, Servatore, condito, non, ut olim in Mosaismo, agi de rebus corporeis, ut de victus qualitate discernenda (*βρώσει καὶ πόσει*) et similibus, sed de virtute ac probitate (*δικαιοσύνη*), pacis et concordiae studio (*ἀρένη*), laetoque et tranquillo animo, (*χαρῆ*) ab omni invidia (*φθόνῳ*) alieno. (Conf. Gal. 5, 20. 21.), praeceptorum nobiliorum eorumque divinarum ope ac beneficio partitis (*ἐν πίστεω καὶ ἀγάπῃ*). — Ergo Paulo apostolo, teste, regnum divinum a Jesu constitutum, solum spectat animum et lex ejus suprema est probitas morumque sanctitas.

Concordiam inter mortales, quarumcunque fuerint natalium ac gentium, promovendam, tanquam salutarem divini regni Jesu effectum, eximie celebrat idem Apostolus compluribus locis, ut Eph. 1, 10. c. II, 10—8. Col. I, 20.

Col. I, 13. opponit Apostolus regnum Christi *τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης* (i. e. ἀγαπητῶν) τοῦ Θεοῦ regno tenebrarum (*τῆ ἰξου-*

ἐπὶ τοῦ σκότους) i. e. impietatis, superstitionum atque ignorantiae. Depingit igitur divinum illud regnum, ut regnum lucis ac pietatis, caritatis et concordiae \*), ergo ut mere  
 ἡθικὸν καὶ πνευματικόν.

Porro exponunt divinum regnum (haud aliter ac Jesus ipse, Joh. VIII, 32.) Apostolice ut rempublicam, insignem vera libertate civium, ut qui tam legis ceremonialis molestiae, quam vitiorum pravarumque cupidinacae superstitionum duro imperio sint quasi exempti. Conf. 2. Cor. III, 17. Gal. IV, 4. sqq. c. V, 1. Jac. I, 25. c. II, 12. 1. Petr. II, 16. Regnum, talem tamque insignem libertatem concedens civibus, mere spirituale ac morale non dicere non poteris.

De reipublicae divinae ambitu ita disserunt Apostoli (sicut Jesus ipse, Matth. XXVIII, 19. Joh. III, 35. c. XVII, 2.) ut non sit unus gentis (sicut respublica religiosa illa, a Mose olim condita) sed omnium omnino mortalium, quibus dummodo velint, pateat accessus, concessa sit civitas. Conf. Eph. I, 10. 23. c. III, 10. Sed quae, quaeso, respublica civilis omnibus populis omnique generi humano convenerit? — — — Convenit sane

\*) Conf. orationem nostram III. 1. c. pag. 57. sqq.

divina illa, a Jesu condita, animum efformans ad probitatem ac morum castitatem sectandam; suscitans firmansque divinum illum spiritum, naturae humanae insitum et quasi reconditum a creatore. \*)

Quibus cognitis ac perspectis, vix est, quod quaeras, quid sit divinum regnum? quae illius ratio? Haud male docens S. Rev. Noeselt \*\*): „Jesu Christi imperium, inquit, continetur administratione salutaris humanae per Christi doctrinam effectionesque fructuosas hujus cum doctrinae usu, conjunctas.“ — Concinat fere S. Rev. Guil. Abr. Tellerus. \*\*\*)

Sed quid multis? Regnum veritatis bonique (Joh. XVIII, 37.) strictius dixeris id quidem institutum religiosum, quo adducantur homines ad et Deo et ipsis hominibus digniorem summi Numinis cognitionem cultumque a superstitione et praejudiciis aequae alienum (Ἀλλόθρησκ), efformandi ad morum castitatem, animi probitatem (Πίστην), mutuumque amorem (Ἀγάπην, caritatem). Quis non de ipsa religione Christiana

\*) Vid. orat. nostr. II. p. 43. sqq. et I. pag. 15. 20. sqq.

\*\*) Diss. de christo homine regnante. opuscul. Fasc. II. pag. 368.

\*\*\*) Lexicon N. T. reale p. 598.

cogitaverit, quibus addicti, cives, ἄγιοι (rerum divinarum cognitione perfecta morumque castitate insignes) et ὅμοι τοῦ Θεοῦ (homines Dei similes) toties dicuntur in libris sacris N. T. — sensu trópico (quem adamant Orientales) recte „βασιλεία“ regnum dicitur. — Est enim qui imperet, — Jesus, legislator; sunt pariter, qui obediunt imperanti, Jesu, Servatoris religionem amplexi quicumque. Propterea quod veritas (ἀλήθεια), pietas, (πίστις) et mutuus amor (ἀγάπη, caritas —) regni divini, seu religionis christianae sint summae sanctissimaeque leges, non est, quod mirere, religionem Jesu ipsam saepissime dici πνεῦμα, πίστις, ἀγάπη, et eodem quidem jure eodemque tropo, quo vel ipsa religio Mosaica (ἡρῆξ seu ῆρῆξ) et christiana (δικαιοσύνη) satis frequenter audit in libris sacris, quod utraque, modo graduque quantumvis diverso, probitatem ac virtutem doceat suos cultores ipsisque injungat. — Hinc 1) Πνεῦμα dicitur, seu religio sanior ac sublimior eademque divina, solum animum occupans, non sensus externos; 2) Πίστις, seu probitas, morumque castitas; 3) Ἀγάπη, caritas, mutuus amor, ut quem praecipiat suis cultoribus. Hinc (ἀγάπη) nomen religionis christianae ipsius, in libris sacris N. T. satis solemne, ut: Rom. XIV, 15. c. XV, 30. 2. Cor. XIII, 11. 13. 15. Eph. I, 4.

c. III, 17. 1. Joh. IV, 18. 2. Joh. V, 6. Propterea tam frequens πίστις καὶ ἀγάπη· ἑομφορῶν sitio, innuens religionem Jesu eandem, καὶ τοῦ regnum divinum (τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ).

Hinc „ἀρχεισθαι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, et: ἀρχεισθαι εἰς αὐτήν“ (Marc. X, 15) idem omnino est, quod „amplecti religionem Jesu.“ Hinc „αἰρῆσαι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ (Act. XX, 25)“ idem est, quod (v. 24) „διαμαρτύρησθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ.“ — Hinc coetus christianorum (ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ) toties diserte dicitur ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Conf. Rom. XIV, 17. 1. Cor. IV, 20. Eph. V, 5. Col. I, 13. c. IV, 11. 1. Thess. II, 12, 2. Thess. I, 5. Hebr. XI, 28. Jac. II, 5.

Sed haec hactenus. Versamur jam nos omnes in republica illa divina, a Jesu condita, civitate illius, Dei gratia, donati! Quum, prouti didicimus ex testimoniis et Joannis Baptistae, et Jesu ipsius, et apostolorum, regnum sit veritatis bonique, institutum mere religiosum, adducens mortales ad digniorem Dei cognitionem nobilioremque cultum, a superstitione ac praejudiciis alienum; efformans cives suos ad animi probitatem, morum sanctitatem mutuamque amorem: haud absona fuerit quaestio: An regnum illud divinum

nostris quidem temporibus egregie vi-  
geat? an cives ejus pura ac perfecta Dei  
rerumque divinarum cognitione vitaeque  
sanctitate sint vere insignes? an libertate  
illa gaudeant, superstitionum, vitiositatis pra-  
varumque cupidinum expertes? — — — — —

Proh dolor! non nisi paucissimos regni sui  
cives hodiernos, suos dixerit Jesus, maximam  
partem — gentilium sane similiores! —

In cujus rei causas inquirere, non quidem  
ardua res est, nec altioris indaginis: sed hujus  
non est loci. Relegare ausim ad orationem me-  
am I, in aede Petrina, Petropoli e sugestu ha-  
bitam \*) lectores.

Utinam societati illi, a Britannis, in com-  
pluribus Europae terris, institutae, id agenti,  
ut scripturae sacrae in omnes fere linguas con-  
versae exemplorum copia sit inter singu-  
los populos, christianae religioni addictos,  
(„Bibelgesellschaft“) contingat, efficere, ut  
regnum divinum, nostris temporibus tam infir-  
mum, tam inclinans ac labens, ex infirmi-

---

\*) Vom Göttlichen und Ewigen im Menschen etc., p.  
8. sqq.

tate sua mox convalescat, mox ita efflorescat et vigeat, ut civitate ejus dignos praedicare possit cives et hodiernos et futuros reipublicae divinae divinus auctor!